

tiæ arguit, & inter ignorantiam interpretativam, quæ consistit in inconsiderantia intellectus. Verum ergo est, quod voluntas quandoque errare possit, nullò præcedente errore intellectus ex ignorantia formali ortò, quod quidam ex Scholasticis probat exemplò Adami, cujus voluntas erravit, nullo præcedente errore intellectus, sive ignorantia formali, quippe quæ post lapsum demum in pœnam peccati cesit. Nec omnino falsum est illud, quod voluntas non possit errare, nullo præcedente errore intellectus, neque ex ignorantia formali, neque ex ignorantia interpretativa ortò. Nam quamvis intellectus non semper erret ex ignorantia formali, ut nesciat, hanc vel illam rem malam esse, errat tamen ad minimum ex ignorantia interpretativa, quatenus scilicet non accuratè interpretatur, non considerat, non cogitat, illam rem jam usque adeò malam esse, ut nullam rationem boni in se habeat, & hoc vult ipse Aristoteles, cum lib. 7. Eth. dicit: incontinentem semper aliquid ignorare aut saltem non considerare. Nunquam ergo Voluntati aliquid proponi potest, in quo exequendo erret, nisi intellectus etiam impingat, sive ignoret simpliciter, quid sit bonum, sive non rectè consideret.

§. 25. Quæritur IV. An Liberum Arbitrium consistat in Voluntate? Quod Liberum Arbitrium brutis non competat, adeoque nec in facultatibus animæ vegetativæ, aut sensitivæ, quas homo cum illis habet communes consistat, ne unus, opinor, inficiabitur. Erit ergo in facultatibus animæ rationalis primariis, videlicet aut intellectu, aut in voluntate. Non in intellectu, quia liber non est, cum tanquam potentia cognoscitiva dependeat ab Objecto, positisque omnibus ad agendum requisitis necessariò agat, E. in voluntate, cujus libertatem supra §. 14. dedimus probatam.

§. 26. Cir-